



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. III. Quibus de causis ferri possit excommunicatio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

nitius sciretur, ideo necessaria semper habita est Romani Pontificis communio, ut quis non haberetur pro schismatico; quia per eum tanquam per unitatis centrum, omnibus Ecclesijs uniuntur fideles. Ex communi autem Ecclesiasticorum Scriptorum consensu perhibentur Schismatici, qui à totius Ecclesiæ sub uno Capite unitæ communionem separati sunt &c.

ARGUMENTUM III. Elliesij.

20. Theologus hic Parisiensis, ijs, quæ proximè fuerunt allata, præsuppositis, subinfert, facile concludi, quamvis è dissidentibus Ecclesijs sit schismatica. Manifestum namque reddi ex dictis, illam Ecclesiam esse habendam schismaticam, à cuius communionem ceteræ omnes, vel pene omnes dissident. Etenim si totius orbis Ecclesiæ, cum Ecclesijs dissidentibus, & à se invicem divulsis communionem fovissent, ea licet inter se divisa, ab Ecclesia tamen universâ non erant separata, uti contingit in negotio Asiaticorum, Cypriani, Meletij, &c. Si verò totius orbis Ecclesiæ dissentirent, ita ut magna illarum multitudo ex utraque, parte staret, dissensio quæ foret de fide, tunc ea pars pro verâ Ecclesiâ esset habenda, quæ antiquam doctrinam retinebat. Si porro paucæ Ecclesiæ nollent, cæterarum omnium decretis obtemperare, censendæ forent ab Ecclesiâ extorres. Sic Montanista & Novatiani, licet antiquæ circa pœnitentiam severitati inhærent, quia tamen pauci erant, qui istam retinendam ducerent, cæteri quæ omnes volebant lapsis veniam indulgere, meritò schismatici sunt habiti. Sic Episcopi, qui stabant à Donato, pro schismaticis habendi fuissent, quamvis Cæcilianum traditorem fuisse, constitisset, quia ab omnium Ecclesiarum communionem propter unius Episcopi crimen excelsissent. Ita etiam, licet Asiatici tempore Victoris minimè fuerint schismatici, quia tamen post Concilij Nicæni Decretum, eandem cum Asiaticis disciplinam mordicus retinuerunt, meritò pro schismaticis habitus sunt. Sic Lucifer, & pauci factionis ejus homines, licet antiquæ circa Episcopos lapsos disciplinæ defensores, velut schismatici & perturbatores excepti sunt.

Responsio.

21. Signum schismaticorum cœtum ab unâ verâ Ecclesiâ discretivum, longè solidiori ratione desumitur ex S. Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornel. scribente in hæc verba: Neque enim hereses abortivæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Index vice Christi cogitatur. Cui consonat, quod in eisdem S. Doctoris lib. 2. Epist. 10. ad Cornelium habetur: Se misisse, ait, collegas suos ad Papam pro membris scissis ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem componendis: sed quoniam diversæ partis obstinata & inflexibilis pertinacia, radices & matricis suam & complexam re-

cusarunt, ideo Catholica unitatis adulterum & contrarium Caput extra Ecclesiam fecisse. Quòd si ergo schisma ex pertinaci erga matricem Ecclesiam Romanam dissensione, ac erga Papam vices Christi gerentem Judicem contrarietate subsistat, quomodo fieri potest, ut totius Orbis Ecclesiæ cum Ecclesijs dissidentibus, & à se invicem divulsis, adeoque ex unâ saltem parte ab Ecclesiâ Romanâ discissis, communionem fovere queant, & tamen ab Ecclesiâ universâ, ex uno Capite & Sacerdote, Christi Vicario, Pontifice Romano, unitatem suam obtinente, non sint separata? Eandem profectò sortem tales ab Ecclesia Romana dissidentes Ecclesiæ subibunt, perindeque schismatici obnoxia erunt, ac fuerant tum Montanista & Novatiani, tum Donatista, & Asiatici Victoris Papæ, ac postea Nicæni Concilij decreto circa Paschatis celebrationem pertinaciter renitentes, alijsque adversus Romanum Pontificem ex Cathedrâ Apostolicâ desinentem protervè oblucentes.

S. III.

Quibus de causis ferri possit excommunicatio?

Primò. Elliesius præsentis Dissert. 3. cap. 2. 22. excommunicationis ordinariæ tres statuit causas, nempe pravam doctrinam disciplinæ à Christo & Apostolis tradita adversantem: vitam flagitiosam Christi præceptis contrariam: & privati alicujus rebellionem, adversus Ecclesiæ sive propriæ & particularis, sive communis & universalis disciplinam. Quas excommunicationis causas Theologus citatus probat ex notis S. Scripturæ textibus ibidem allegatis.

Secundò. Idem Elliesius distinguit excommunicationem in medicalem & mortalem, quarum prior infligitur ad resuscitandam in peccatore pœnitentiam, vitæque ad eam emendationem; posterior autem fertur in peccatores obduratos, de quibus vix ulla superest respicientiæ spes, sicque quasi mortui eiciuntur extra sanctam Ecclesiam. Cujusmodi mortalis excommunicatio vocari solet anathema, quod juxta Conciliorum morem non inferebatur, nisi prius excommunicatione medicinali fuissent percussi, conformiter ijs seu decretis, seu testimonijs, quæ prædictus Theologus adfert pag. 261. in fine, & pag. 262. usque ad medium. Ubi tamen subditur, excommunicationem medicalem non semper præcessisse mortalem, præcipuè ubi nulla spes emendationis apparebat: quamvis semper fuerit necessarium, excommunicationis sententiæ præmittere trinas admonitiones, uti extat sancitum in sacris Canonibus cit. pag. 262. post medium adductis. Quare ne publici quidem peccatores, aut hæretici statim excommunicatione mortali plectendi erant, sed prius corripiendi, postmodum admonendi ab Ecclesiâ, & medicinali excommunicatione plectendi, ac tum demùm ab Ecclesiâ penitus eliminandi, juxta institutum à Christo corripiendo.

H h h 2 rum

- rum Fratrum regulam.
24. *Tertiò.* Tradit præcitatus Elliesius pag. 260. excommunicationem mortalem ferri non posse, nisi crimen sit manifestum & publicum. Quamvis enim nonnulli putent, penitentiam publicam, ac proinde excommunicationem medicinalem olim infligam esse pro peccatis occultis, neminem tamen hætenus existimasse, aliquem ab Ecclesiâ invitum excommunicari, aut pelli potuisse, nisi manifestum foret ejus crimen; quippe cum nullus debeat excommunicatione mortali plecti, qui non vel suo, vel aliorum testimonio fuerit convictus, & penitentiam agere detrectarit; uti pluribus testimonijs probare conatur præcitatus Theologus.
25. Quod equidem circa excommunicationem mortalem, imò & medicinalem ferendam sententiæ discrimen haud improbo: at circa excommunicationem latae sententiæ res aliter se habet, ita ut hæc indici possit generali aliquo statuto, criminis cuiuspiam, si forte per nequitiam sit patrandum, eatenus vindice, ut Canon excommunicationis, vel anathematis comminatorius sit loco perpetuæ admonitionis, ipsoque factò incuratur ejusmodi censura à transgressore illius Canonis, quantumvis scelus externo tamen opere consummatum, sit occultum, neque juris, neque facti notoreitate publicum.
26. *Quartò.* Cum Elliesius pag. 269. iterum probasset, excommunicationem ferri non posse in occultos aut hæreticos, aut peccatores, quippe cum excommunicatio sit separatio à fidelium conventu & Societate, seu actus clavium externus, & in foro exteriori exercendus: neque enim homo internus ligatur ab Ecclesiâ, sed se ipsum per peccatum ligat coram Deo, non coram Ecclesiâ. Exinde illhanc moveret quæstionem; *An hoc accipiendum sit, non tantum de excommunicatione ferenda, sed etiam latae sententiæ?* Celebris namque est apud Canonistas ista distinctio excommunicationis ferendæ, & latae sententiæ: quarum priorem, ipsomet Elliesio animadvertente, illam dicunt, quam per ipsum actum meretur quidem peccator, non tamen incurrit ipso factò, sed infligitur per subsequenter sententiam: posteriorem verò, ajunt, ipso factò incurri ob scelus patratum, cui ex vi alicujus Canonis seu statuti est annexa talis censura. Priorem proinde excommunicationem, fatentur Canonistæ, ferri tantum posse in peccatorem notorium, & criminis convictum: posteriorem verò ipsâ perpetracione criminis incurri, contendunt: imò nonnulli ex ijs ajunt, eam in peccatum profus internum cadere posse, alij verò censent, hanc non secus ac cæteras censuras, minimè habere locum in peccatis merè internis, nisi extrinsecus prodierint per aliquod dictum, aut factum, licet hominibus ignotum.
27. *Quintò.* Adversus hanc Canonistarum doctrinam excipit Elliesius à pag. 270. circa finem, excommunicationem latae sententiæ non esse eam, quæ hucusque descripta est. Nam quotiescunque in Canonibus antiquis dicitur

anathema generatim in eos, qui hoc, aut istud scelus patnaverint, hoc nihil aliud esse, ait, quam eos, qui istud egisse convicti fuerint, excommunicandos, non autem reverè excommunicatos esse. Unde idem Doctor Parisiensis pag. 271. concludit, quòd anathema, secundum propriam hujus vocis significationem, nihil aliud sit, quam diris devoveri, exitioque dignum haberi, sicque adeò sub ejusmodi voce exprimi excommunicationem ferendam, non latae sententiæ. Imò verò per excommunicationem latae sententiæ hominem re ipsâ non excommunicari, sed excommunicandum decerni statim, atque convictus fuerit ejus rei, propter quam fertur à jure, sine ullo prævio judicio.

Verùm pro sexto hujus Elliesianæ exceptiois sequentem accipe reservationem. Cum enim hic Theologus fateri debeat, vi Clavium Ecclesiæ posse decerni, ut statim, ac convictus quis fuerit facinoris, propter quòd excommunicatio fertur à jure, sit absque ullo prævio judicio excommunicandus; quærit ejusdem S. Ecclesiæ indefinita ad quodcumque ligandum potestas facere possit decretum sceleris cuiuspiam eatenus prohibitorum, ut quisquis talis peccati reatum opere aliquo externo compleverit; ipso jure non tantum sit excommunicandus, sed ipso factò excommunicatus? Quo proinde excommunicandi modo per plures Summorum Pontificum, atque Conciliorum Constitutiones stabilito, distinguere jam oportet, inter ipsam excommunicationis censuram in foro conscientie incusam, ejusque auctoritativam in foro exteriori publicationem. Quarum prior equidem haud requirit peccati notoreitatem, sed externam duntaxat sceleris consummationem: licet posterior exigat delicti, excommunicationem ipso factò & jure annexam habentis, legitimam in foro exteriori probationem. Et hinc facile patere poterit, qualiter accipienda sint ea, quæ Elliesius pag. 273. usque ad pag. 271. fusè prolequitur.

## §. IV.

In quos ferri possit, ac debeat Excommunicationis censura.

Quæ hanc in rem Elliesius à pag. 277. disserit, ea vel nullam continent difficultatem, vel alibi jam discussa fuerunt. Super sunt expendenda solummodò tum de Regibus, tum de integris Regnis; *An excommunicationis, seu interdicti censura subijci queant?*

## ARGUMENTUM I.

Nostratis de Regibus sententiæ.

Elliesius præsent. pag. 278. pro nostrâ sententiâ, Reges excommunicari posse affirmante, ita disserit. Cum equidem Romani Pontifices à Gregorio VII. ita excommunicarint Reges, ut simul eorum subditos à Sacramento fidei absolverent, Regnaque co-